

et non multae, propterea quod imaginis honor ad exemplar transit. Quae verba refert divus Damasc. (3. de fide). Ecce hi Patres ex divisione adorationis divisiones inferunt imperii, et excellentiae; e contra vero ex individua excellentia et imperio individuum adorationem colligunt: idque optima quidem ratione, quia excellentia est in eo, cui adoratio refertur; divisa autem ratio excellentiae ab exemplari, cum non maneat aliqua excellentia in eo, cum totam mutet adaequate ab exemplari, adorari non poterit, absque vitio idololatriae. Addo tandem fundamentalem rationem ex natura ipsiusmet adorationis petitam. Nulla res inanimata divisa, et separata a rationali capax est ex se adorationis; nam cum per adorationem submittit se adorans alicui excellenti, et sibi superiori, inanimatae vero rei nemo sanae mentis se submittit, aut servitium desert. At si imago dividatur ab exemplari, ita ut non apprehendatur cum illo, est res quaedam inanimata irrationalis; ergo manifeste efficitur, necessarium esse ad hoc, ut illi adoratio deferatur, apprehendi simul cum exemplari: imo cum imago non alia ratione colatur, nisi propter habitudinem ad exemplar, qua sublata, necesse est rationem imaginis penitus auferri; implicatio contradictionis est, nisi quis idololatriae serviat, adorare imaginem divisam ab exemplari; et hoc sane est, quod Aristoteles (lib. de mem. et remin. cap. 2) docuit cum dixit: Idem est motus in imaginem, et in rem, cuius est imago. Ex quo evidenter sequitur, ut colligit divus Thomas (3. part. q. 25. art. 3. 4. et 5) eandem esse adorationis motum in imaginem Virginis depictam, et exemplar eius; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA VI.

Potissimum medium ut obtineantur devotionem Virginis, et conciliandum nobis eius amorem, virtutum illius imitationem esse ex doctrina sanctorum Patrum palam fit.

Neminem ignoret arbitror magni momenti igniculum esse ad amorem virtutis in nobis excitandum sanctorum hominum exempla. Etenim licet Deus Opt. Max. possit nos per seipsum erudire, tamen nostrae imbecillitati se sapienter accommodans non tantum verbis, et inspirationibus internis, sed etiam sanctorum exemplis cupit nos ad perfectionem impellere: quare, qui illa, ut sequatur despicit, quasi aures mentis divinis sermonibus claudit: etenim sanctorum vita sermo Dei est, vivus; et efficax sermo penetrabilior omni gladio accipiti, sermo satis palens, apertus, quo veram virtutem pandunt, et perfectionis semitas ante oculos ponunt, ut non obscure mihi significari videtur per illud (Apocalyp. 20.) ubi libri vocantur vitae iustorum: Et libri aperti sunt,

quoniam in illis legimus non tantum, quod sciamus, sed quod opere complere et imitari debeamus: unde et ubera sponsae, quae populos designant (Cant. 4.) comparantur duobus humulis capreae gemellis, qui pascentur in lilis: id est, in viris sanctis, qui hoc in saeculo fuerunt velut lilia inter spinas. Quod si sanctorum exempla imitari par est, quanto maiori studio imitanda nobis erit Deipara Virgo? etenim alii sancti singuli in singulis virtutibus florent, iuxta illud, quod canit Ecclesia: Non est inventus similis illi, qui conservaret legem caelesti; beata autem Virgo in omnibus virtutibus mirifice emicuit, in quibus herosa illorum exempla nobis reliquit, ut observavit angelicus doctor sanct. Thomas (opusc. 8) dicens: Alii sancti speculata quaedam opera virtutum excruciant, quia alius fuit humilis, alius castus, alio ipsi dantur in exemplum speculatum virtutum; sed b. Virgo in exemplum omnium: unde Sophronius (serm. de assumpt.) inquit: B. Dei Genitricem si diligenter inspicis, nihil est virtutis, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriaeque quod ex ea respiciatur; et, idcirco bene circumdant eam flores rosarum, et lilia concitium, ut virtutes virtutum fulciantur, et formositas decore castitatis augetur. Sed nullo antea uberrimam virtutum copiam, quibus b. Virgo praefulsit, antiquissimus Ignatius (in epist. ad S. Ioan. Apost.) pie, et sapienter per haec verba descripsit: Et quidem notissimae, eandem Matrem Dei omnium gratiarum esse abundantem, et omnium virtutum more Virginis foecundam, quae ut dicunt in persecutionibus et afflictionibus est hilaris, in penuris, et indigentibus non querula, in invidiantibus grata, et modesta, in re lacta miseris, et afflictis condoleat, et subvenire non pigrescit: contra vitiorum autem pestiferos confectus in pugna fidei disceptans evalescit: nostrae novae religionis, et poenitentiae est magistra, et apud fideles omnium operum pietatis ministra: humilibus quidem est devota, et decolis devotius humiliatur; et mire ab omnibus magnificatur; et infra: Sicut nobis a fide dignis narratur, in Maria Matre Iesu humanae naturae, naturae sanctitatis angelicae sociatur; haec Ignatius.

Deinde in eo manifeste innuoscit, quanto utilius nobis sit, b. Virginem, quam reliquos omnes divos in vivum exemplar ad imitandum nobis ante oculos proponere, quod alii Sancti, quantumvis insignes sanctitatis magistri, non potuerant in hac vita omnem peccati contaginem, et labem evadere. Quare si vestigia omnia vitae illorum sequi volumus, nonnullis sordidari necesse erit, cum a sordibus ipsi non fuerint alieni; unde divus Paulus modestissime de se loquens, non dixit absolute (1. Corinth. 14.) Imitatores mei estote; sed continuo subiungit: Sicut et ego Christi; ac si diceret, quia ego homo sum, et licet aliquum Apostolum, et primitias Spiritus habeam, nonnullis imperfectionibus, et peccatis venialibus inficior: ut enim ipse dixit, quod odii malum, hoc facio; solim a vobis imitandum sum, quatenus ego Christum imitor: nam si quis id est, in quo a Christo vel minimum deviem, in hoc nullatenus postulo ab hominibus imitari. Secus au-

tem contigit in b. Virgine: nam cum ab instanti suae Conceptionis, et per totam vitae suae curriculum immaculata semper extiterit, et ab omni prorsus peccati, cum venialis labere, imo et ab omni cuiuscumque minimae imperfectionis pulvisculo omnino immutata, nulla certe in ceuismque Mariae actionis imitationem peccati labes irrepere poterit. Quod si re ipsa irrepperit illa, non ab ipso exemplari manabit, sed a nostra imbecillitate, aut malitia procedet.

Porro multifariam, multisque modis in sacris eloquiis, et sanctis Patribus reperio b. Virginem nobis propositam exemplar, ad cuius imitationem incompositos nostros mores componamus: etenim (Esther c. 15) Virginem in caelum ascendentem, in regina Esther egregie adumbratam video, cui duae familiae obsequabantur, super quarum unam iniebat, altera vero sequebatur, defluentia in humum vestimenta colligens: illa significat angelicam naturam, super angelos enim innultat in caelo, familiarissime cum illis agendo; natura vero humana est familia, quae Dominam suam Mariam sequitur in mundo, eius vestimenta colligens, hoc est, virtutes, et exempla, quibus velut pretiosissimis vestibus induebat: in figura etiam intueor Deiparam Virginem, nobis in exemplum propositam ab Isaia (c. 51.) cum nobis dixit: Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saran, quae peperit eos, hoc est, defigite oculos in veterem Patrum vestrorum fidem, obedientiam, ceterisque eximias eorum virtutes, alque etiam in remunerationem, quam a Deo receperunt, idque eo fine, ut et vos eorum insistatis vestigiis, et similem cum his remunerationem oblineatis: quod tunc autem in figura dictum est, idem nobis Spiritus sanctus nunc clare, et aperte praedical: attendite ad Christum Patrem vestrum, qui mortem occumbens in cruce, per gratiam vos in filios suos genuit: considerate diligenter eius exemplum, ut imitari possitis, quemadmodum monet Apost. Petrus (1. Pet. 2): Christus passus est pro vobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius. Attendite ad immaculatam Virginem Mariam mundi Dominam in Sara matre vestra praesignificatam: considerate sedulo eius exemplum, ut cum imitemini: Memento, ait b. Paulus (Hebr. 13.) praepositorum vestrorum, qui nobis loquuti sunt verbum Dei, quorum influentes exitum conversationis, imitamine fidem. Praepositi illi, quos imitandos proponit b. Paulus; fuerunt Apostoli, virgine Apostolice: ad quorum imitationem si nos excitat, multo acius nos invitat ad imitandum praudentissimam Virginem, ipsorum animarum apostolicae vitae exemplar, et perfectissimum apostolicae vitae exemplar. Ad quod respiciens s. Methodius (in hypopand.) b. Virginem vocavit, fideliorem saeculo: nam sicut fax accensa, non tantum ardet in se, sed aliis lucem praebet; Ita Deipara Virgo non tantum charitatis igne in se sagrabat, sed et exempli fulgore semper aliis praetexit: unde d. Bonav. (in specul. b. Virg. c. 3) dixit: Maria est illuminatrix plurimorum per exempla lucidissimae vitae suae: ipsa est, cuius vita gloriosa

lucem dedit saeculo: ipsa est, cuius vita inclinata cunctas illustrat Ecclesiae: ipsa enim est lucerna Ecclesiae, ad hoc illuminata a Deo, ut per ipsam contra tenebras mundi illuminaretur Ecclesia. Oret ergo Ecclesia, oret factis anima, et dicat: quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas: hanc vero lucernam Dominus illuminavit plenissime, et per hanc illuminationem tenebras animarum nostrarum fugat, et fugavit: hoc bene sentiens Bernardus, ait: O Maria, tu virtutum tibi inditarum magnificis exemplis ad imitationem tuos nos provocas, sique noctem nostram illuminas. Qui enim vias tuas consecutus fuerit, non ambulat in tenebris, sed habet lucem vitae; haec enim ille.

Ac tandem verba illa (Ezech. 14) mystice intellecta, non obscure mihi ob oculos ponunt, b. Virginem, tanquam exemplar, inspicendum esse, tum ut confundamur, tum, ut omnem iniquitatem longe a nobis abiciamus: Fili hominis, ait Dominus ad Ezechielem ostendens mundi templum, ut confundantur ab iniquitatibus suis, et mittantur fabricae, et erubescant ex omnibus quas fecerunt. Equidem b. Virginem per templum aple adeo significari censuit d. Antonius, ut postquam (3. par. tit. 31. c. 4. §. 2) copiose id ostendisset, pulchre etiam, in templo erant, eius virtutibus in haec verba accommodat: Abundantia gratiae, et virtutum Deiparae, in templo ipso figurata sunt: nam in medio eius, in loco, qui dicitur sancta, erat ex uno latere mens aurea cum duodecim panibus propositionis, ex alio latere aureum thymianatis, et thuribulum aureum, ac etiam candelabrum aureum cum septem lucernis, velum quoque quod dicebatur sancta Sanctorum quadricolor, sic in templo mentis virginalis fuit mensa fidei perfectissimae duodecim articulo rum designatorum per panes fuit, et altare aureum summae dilectionis cum thuribulo speciali, unde fumus aromatum, id est, devotissimarum orationum, et contemplationum ascendebat ad coelum: candelabrum quoque gratiae septem donorum Spiritus sancti, virtutes quoque cardinales designatas per velum quatuor colorum, secundum Magistram (in 3. sent.) utique fuerunt prudentia, fortitudo, iustitia, et temperantia; haec s. Antonius. Cum ergo b. Virgo sit templum animatum, in quo Deus non solum spiritualiter per gratiae, et virtutum charismata, sed corporaliter homo factus desivit, certe cum Ezechiele praecipitur respicere ad templum, ut confundamur, et erubescamus: congrue satis intelligimus, et moneri ad Mariam respicere? cuius heroica virtutum exempla influentes, necesse est verecundiae robore suffundant, et ad eam imitandum vehementer excitant.

Ceterum ut ad Patres me convertam, idipsum disertis verbis tradidisse comperio divum Hieronymum (epist. 22. ad Eustoch.) dicentem: Nos meliorum exempla sectemur: propono tibi beatam Mariam, quae tanta exitit puritatis, ut Mater Domini esse mereretur. Divus Bonaventura (in simul. divin. amor. cap. 7) ita loquitur: Ipsam Matrem Dei et peccatorum, tanquam bonus et devotus filius, in omnibus pro posse studeas imitari: tum enim proculdubio te sibi tanquam Matri veraciter carabis, et ipsa te tan-

quam suam filium veraciter adorabit, et quae digne ab ea petieris, tibi dabit, et in omnibus tibi necessariis ad salutem suppliciter ministrabit, et tandem in caelesti gloria te apud se felicior collocabit; haecenus d. Bonaventura. D. Ambrosius (lib. 2. de virg.) haec praecura in idem argumentum scripsit: *Sit vobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaeque beatae Mariae, de qua velut in speculo refugit species castitatis, et forma virtutis. Haec sumatis licet exempla vivendi, ubi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid tenere debeat ostendit. Ecce divus Ambrosius vocat beatam Virginem speculum, ad quod aspicientes spiritualis animae moenas abstergere debemus: ut enim dixit divus Iacobus (in sua canon. cap. 1): *Qui auditur est verbi, et non factor, hic comparabitur viro consideranti cultum naturitatis suae in speculo: consideravit enim se, et alium, et statim oblitus est qualis fuerit. Sane quemadmodum si quis in speculo suam faciem intueatur, et nec sordida abluat, nec turpia corrigat, nec incomposita diligenter componat, is ablutur speculo, nullam ex sui aspectu utilitatem decerpens: sic Marianum speculum contemplant, si mores suos non componit, et maculas abluat, nihil ei proderit talis aspectus, nec vere Virginis devotos nuncupari poterit. Cum vero erga Deiparam devotio imitatio sit, idem sancti Patres frequentissime docent: etenim s. Iudephonus (serm. 1. de Assumpt.) *Imitantur, inquit, Matrem Virginem, et sanctos omnes, quos laudatis, quoniam illis prodest nostra laudatio, quantum nobis eorum imitatio: unde sponso magis placet imitator devotus, quam laudator otiosus; tamen vera laudatio cordis imitatio est operis. Divus Bonaventura (in epist. 25. memor.), plane docet, devotionem erga Virginem non esse ei acceptam, deficiente eius imitatione: verba eius sunt haec: *Ut tua devotio sit ei accepta, et reverentia grata, ipsius puritatem, et munditiam omni virtute, mente, et corpore illibato in te ipso servando toto conatu nitaris humilitate, et mansuetudine eius vestigia imitari. Ut quemadmodum divus Augustinus (serm. 30. de marty.) loquens, dixit: *Si ad consortium sanctorum Martyrum pervenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus: debent enim in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, ut pro nobis dignentur Domino supplicare. Non dissimiliter, ut devotio nostra erga Virginem sit ei accepta, oportet, ut aliquid de suis virtutibus in nobis recognoscat. Quod probe agnoscens d. Bernardus (ser. sup. Sate. Regis) haec scripsit: *Agnoscit Virgo, et diligit diligentes se, et prope est in veritate invocantibus se, praesertim iis, quos videt conformes sibi factos in castitate, et humilitate, et totam spem suam post filium suum in ea posuerint, et toto corde quaesierint; haec d. Bernardus.******

Quorum omnium Patrum doctrinam confirmant solemnes antiquae, et probatae, quae adhuc durant in Ecclesia, Deum orandi formulae ita precari docentes: *Ut quorum natalia colimus, per eorum ad te exempla gradamur: ut quorum gaudemus meritis, accendamus exemplis: praesta nobis ex eorum imitatione proficere, et oratione fulciri. Quibus aperte docemur, suam*

religionem esse, imitari, quod colimus. Quid, quod ad impetrandum a Virgine coelestia charismata, et ut nostris postulationibus annunt, nullum medium efficacius assumi potest, quam virtutum eius imitatione: ut non obscure indicant verba eiusdem Virginis: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis adimplerem, id est, a virtutum mearum exemplis, quae sunt spirituales mei partus, et generationes. Unde d. Bernardus (hom. 2. sup. Miss. est) dixit: *Ut impetres eius orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum. Accedit, quod, cum imitari beatam Virginem, sit imitari Christum, quid enim aliud est Virginis vita, nisi expressum quoddam vitae Christi exemplar? imitatio per mediam virginem facta peculiarem quandam conciliat suavitatem, quam non conciliat eadem imitatio Christi, facta per alios Sanctos; quae via, et modo, facilius quoque efficitur vitae Christi: imitatio: dum enim servus Dei totus incumbit contemplationi virtutum, morumque purissimorum sanctissimae Virginis, suavitatem vitam eius vitae conformare videtur, memor pietatis, benignitatis, charitatis, ceterarumque virtutum, mollescit, et quasi liquefit eius animus, ac in amorem exardescit Dei, qui talem nobis matrem impertit.**

Rursus illud singulari observatione dignum est in b. Virgine, quod ut experientia docuit, maiorem vim praestitit nobis sanctis habet, ad extorquendum a nobis, si illa fas est loqui, eius imitationem: etenim instar magnetis, quem constat non verbis, sed abscondita natura vi ferrum ad se trahere, et mirabili nexu sibi copulare, ita b. Virgo divinitus insita sibi virtute ferrea etiam peccatorum peccata ad se trahit: suavitatis autem huius fractionis tanta est, ut ad eam explicandam b. Virgo balsami suavitati illam comparaverit, dicens (Eccles. 24): *Quasi balsamum aromatizans odorem dedi. Cuius loci, ut abditae arcana referamus, in memoriam oportebit revocare, quae Plinius (lib. 12. natur. histor. cap. 25) de balsamo commemorat in haec verba: *Omnibus odoribus praefertur balsamum, qui terrarum Iudaeae concessum. Quondam in duobus tantum hortis, utroque regio: saporum in eandem arbusculam Iudaei, sicut in vitam quoque suam, contra defendere Romani, et dimicantur pro fructu est, seritque nunc eam fuscus, nec unquam fuit numerosior, aut procerior. Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis, ferro laedi vitata odit; emoritur protinus, succus et plaga manat, quem opobalsamum vocant, suavitatis eximiae, sed tenui gutta in musco candida rubescit, deinde simulque duresscit et translucent. Vitatur oleo rosae, capri lentisci, et aliorum quorundam fructuum, et melle mutatum statim contrahit mucas: summa probatio sinceritatis est, ut loc coagulet, in veste maculas non faciat; haec Plinius. Latet in his verbis multa quae Virginis praestantiam, ac virtutum eius excellentiam, exprimunt: imprimis illius arbor non cultro ferreo, sed osseo, ac lapideo, et vitro inciditur, et ut quidam dicunt, ea parte, quae respicit solem, inde vero fluit balsamum candidum, quod deinde rubescit. Hoc plane Deiparae satis**

congruit, quae Christum solem iustitiae aspiciens, eumque penitus in se excipiens, non ferri materialis sectione, sed filii compassionem, qui lapis est angularis, et speculum sine macula vitreum, verisque ossibus constabat, transfigebatur, emittitque non sanguinem, sed lacrymas, et affectus candentes puritate, rubentes vero charitate: quorum meritum lucidissimum nullo unquam tempore mollite evanesceat, sed durum, ac firmum stabit. Deinde Pausanias (in Baeoth. lib. 9) scribit, in Arabia plurimas vipersas sub balsami arboribus latitare, easque sub illis commorantes, balsami pastu venenum amittere, ipsarum item morsus ob id esse innoxios. At vero praesidio Deiparae, quae est mystica balsami arbor, daemonibus per serpentes significatis venenum admittit, ne eorum morsus, et nefariae, quas immittunt, suggestiones, Deiparae devotis noceant. Sicut balsamum praeterea in maiori pretio habetur, quod nullius alterius liquoris mixture vitiatum est; ita Deipara Virgo illud peculiare habet praer ceteris aliis sanctis, quod illi peccatis admixti fuerit, iuxta illud Davidis: *In peccatis concepit me mater mea; et illud Iacobi: *In multis offendimus omnes; at balsamum sanctitatis Virginis nulla unquam admixtione peccati originalis, aut actualis vitiatum fuit; unde ipsa (Eccles. 24) dixit: *Et quasi balsamum mixtum odor meus. Hoc autem Bonaventura (in spec. beat. Virgin. cap. 5) eleganter explicat: *Balsamum, inquit, misceri solet, et vitari melle, vel oleo; sed certe balsamum Spiritus sancti in Maria non fuit mixtum, quia nec melle carnalitate, nec mundanae consolationis, nec oleo vanae laudis, et adulationis fuit vitiatum, sed vera, et pura Mariae gratia fuit; haec Bonaventura. Rursus Balsamum olim uni Iudaeae, nulli praeterea regioni erat concessum, quod non tantum Plinius, sed etiam Iustinus (lib. 36), Strabo (lib. 16), Solinus (cap. 36), affirmant: nam ex Iosepho (lib. 8 antiqu. cap. 6) fertur reginam Saba balsami radicem Salomoni dono dedisse, et ideo in sola Iudaea reperiri, ut propterea ex Plinio (loc. citat.) Pompeius devicta Iudaea balsami arbusculam in triumpho duxerit, et Vespasiani imperatores iterum ipsam Romam Iudaea vasata attulerunt, quo tempore Iudaei, et in potestatem Romanorum venirent, eam prorsus excindere sunt conati, ut diximus ex Plinio, nisi Romani armis essent servassent: quare Virgilius (in 2. Georg.), referens suae civitati regiones datas arbores, sic de balsamo cecinit:****

Divisae arboribus patriae: sola India nigrum Fert ebanum; solis est thurea virga Sabaeis Quid tibi odorato referam sudantia ligo Balsamaeque, et baccas semper frondentis acanthi?

Circa Christi tamen adventum videtur balsami frutex multis in locis propagatus. Dioscorides, qui circa Christi tempora claruit, et Avicenna in Aegypto eam nasci testantur, quibus consentit Borchardus (in description. terr. sanct. part. 2. cap. 4), ubi inter Heliopolim, et Babyloniam medio fere loco a se visum refert hortum balsami, qui nisi irrigetur aqua ex fonte, in quo CARTIAGENA de B. M. V. — Vol. III.

Deipara, dum in Aegypto maneret, filium lavit, fructum minime edit. Solinus vero ait: *Balsami luos, devicta Iudaea, ita propagatos, ut iam latissime, inquit, locis sudent balsama. Strabo in maritimis Sabaeorum sylvestre balsamum oriri tradit; et Pausanias (in Baeoth. lib. 9), in Arabia balsami arborum praedicta, ex India vero Occidentali nostro saeculo magnam balsami copiam advehi nemo ignorat. Hoc autem in Deiparam optime quadrat, quae prius uni nota Iudaeae, coruscante per universum orbem Evangelio, magno fidelium proventus in universum orbem praedicta, cunctas pariter illustrat Ecclesias, suoque ardore omnes refecit.*

Sed nostro praecipue argumento consensiens, quis non videat, balsami odorem suavissimum, virtutum Deiparae fragrantiam indicare, quae omnes recreans prae se exemplo ad currendum post Christum excitat, ut liceat nobis dicere illud (Cant. 1): *In odorem unguentorum tuorum curremus. Illud tamen peculiare balsami oleo odorato inest, quod virtutem quandam masculam, et fortem, cuiusmodi erant Deiparae virtutes, non autem mollem, et effeminatam, significet; nam balsamum veluti non bile, ac generosum reliquis unguentis praestans, visis adhiberi solebat, foeminae vero magis congruebat Amomum Assyrium, aliaque id genus delicata unguenta, sed luxus, utebantur; idque saltem exprimit Martialis (libro 14. epigr. 34).*

Balsama me capiunt, haec sunt unguenta viroorum, Delicias Nini vos redeleto nurus.

Discurre per totum vitae curriculum Deiparae Virginis, et nullam invenies exercuisse actionem, quae non masculae, ac fortis virtutis exemplar sit. In die suae praesentationis triennis, cum esset gradus quindecim scalae templi, ut se Deo sacerdoti, absque alienius adminiculo, quae gradioris aetatis esset, facile ascendit, interno devotiois impetu illam foras impellente. Cum ab angelo audivisset filium concepturam, continuo virginitalis amantissima in illa verba prorupit (Luc. 1): *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Deinde a gnata Dei voluntate, ut Mater Dei fieret, ita se humiliter exhibuit, ut ancillam se vocaret (Luc. 1): *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Beneficentiae ita fuit sollicita, ut, cum primum filium Dei concepit, ad invisendum Elisabeth prepararet: Abit in montana cum festinatione. Et cum in Cana Galilaeae nuptiis vinum defecit, a Christo petiit defectum suppleri: *Fili, vinum non habent. Has quis non videat masculas, et fortes virtutes esse?***

Ad extremum si quispiam nosse cupit, quae nam sint illa, in quibus Deiparam Virginem sollicite aemulari debet, compendiose illa tradidit divus Damascenus (orat. 2. de dormit.), ubi ea quae Virgo amat, quaeque averstat, recenset: ex quibus, quae in ea sint imitanda, facile deprehendemus, verba eius sunt haec: *Curremus, ut mentem, memoriamque nostram Genitricis Dei promptarium effectamus; quo au-*

tem modo id assequamur? *Et Virgo ipsa est, et virginum amans. Pura est, et purorum amans. Quocirca si et corporis, et animi castitatem colamus, ipsius gratiam adipiscemur: si quidem lutum omne fugit, ac coevas affectiones avertatur: ingulcium excutatur, foedissima fornicationis vitia infesta est: huius impuras, et sceleratas cogitationes non secus ac viperarum foetus fugit: sermones fidos, ac scurriles propellit: cantusque ad meretricia unguenta submovet: irae tumorem odio habet: inhumanitatem, et invidiam, ac similes non admittit: inanem gloriam, vanis laboribus non admittit: inane superbiae, fastus animo hostili resistit: iniuriam memoriam, tanquam salutis hostem, odio insectatur: elium denique omne, tanquam letale venenum execrationi habet. Horum autem contrarius delectatur: contraria enim contrariarum medicamina sunt. Ieiunio, et parsimonia, palinurumque cantibus gaudet: cum puritate, et virginitate, ac pudicitia pulchre illi convenit, sempiternamque cum illis pacem colit, easque humane, et comiter excolatur: pacem animique lenitatem complectitur, charitatem, et misericordiam, atque humilitatem, tanquam alumnas suas, ultra fovet. Atque, ut rem breviter perstringam, quolibet vitio offenditur, ac deseruiatur: quolibet autem virtute, ut peculiari sua nota, laetatur, et exultat. Quamobrem si vitia prompto, atque alacri animo vitemus, virtutes autem cum studio, atque amore complectamur, easque socias adhibeamus, frequens ipsa ad famulos suos venit, ac secum honorum omnium agmen trahit, Christumque suum suum, onanisque regem, ac Dominum in cordibus nostris habitantem assumet; qui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

HOMILIA VII.

Commemorantur templa ab Ecclesia adificata ad cultum Deiparae, non solum dum vitam ageret, sed antequam conciperetur.

Unigenitus aeterni Patris futurus in tempore filius Virginis matris, sollicitam curam gessit, ne solum fideles post Genitricis suae in coelum Assumptionem, sacrorum templorum in eius honorem erectione, sed et multo retro tempore, ante eius Conceptionem, nec non et illa supersite, hoc religiosi cultus genere venerantur. Quam rem gravissimorum auctorum testimonio palam faciam: et quidem in primis, ut a Druidis Gallorum sacerdotibus sermonem auspicemur, qui inter illos sapientissimi sunt habiti; et, ut verbis utar Caesaris (*lib. 2. de bello Gallico*), non tantum magno erant apud reliquos in honore, sed etiam certo anni tempore in finibus Carnutum, quae regio totius Galliae habetur media, considerant in loco consecrato, ibique de aliorum controversiis constituebant. Hi, quemadmodum olim Athenienses, aram ignoto Deo dicantur:

sic et ipsi multis, antequam Deipara nasceretur, annis, Carnuti urbe, Galliae Lugdunensis florentissima, in eodem agro, qui ipsorum comitibus erat destinatus, aram sub terram profunde excavatam, Deiparae dicunt, cum hac inscriptione, *Virgini pariturae*: quem locum postea sub terra, et super terram egregie ampliatum, atque exornatum, Christiani in celeberrimam Ecclesiam cathedralem exereverunt, quemadmodum Carnutes, ac eiusdem loci incolae constanter affirmant: idque referunt Cassianus (*in Catalogo Gloriarum mundi part. 12. consider. 20*), et Navarr. (*de orat. et horis Canon. lib. 21. num. 28*). Hanc postea Ecclesiam Carnutesensem, Caroli Calvi regis liberalitate extructam, affirmat Belforestus (*in annalib. Franciae ad Carolum Calvum*). Postmodum a Fulberto Carulensi Episcopo, Deiparae impense addicto, pietate, doctrinae clarissimo, qui agrotanti et sacro abere lac Deipara praebere dignata est, renovatum, largitionibus Canuti Anglorum regis, tradit Wilelmus Malmesburciensis (*l. 2. de gestis Anglorum c. 11*).

Nec illud silentio praeterendum, horum Druidum consilio, praeter aram, statum quoque Deiparae cum puero esse positam, quemadmodum Nicolaus Naucelius professione Medicus (*in Parecbasi de mirab. Nativ. Christi cap. 11*) testatur his verbis: *Annalium Carnutiensium hist. de Druidibus, si fere olim Gallorum Magi, seu Sapientes eo potissimum tractu inter lucos versari soliti, certo memorat, et constanter affirmat, homines religionis atque omnium civitatum peritos, Christi adventum praesensisse, et praevidisse; quorum imbutus doctrinae Cones Carnutensis, nomine Priscus, statum egerat Virginis matris puerum in sinu gestantem, eidemque Virgini pariturae templum consecravit, a Godefrido Montis Lorici Comite communibus impensis adiutus, Christi adventum longe ante, humano generi salutarem praestolatus, meritoque veneraturus; haecenus ille.*

Argonautae, qui ex Genebrardo, tempore Abialonis iudicis ante Christi adventum annis mille ducentis circiter vixerunt, quemadmodum etiam colligitur ex Augustino (*lib. 18. de civit. cap. 20*), Cyzici in Hellesponto templum extruxerunt praeterissimum, quod a Plinio (*lib. 36. cap. 15*) veluti maxime admirandum celebratur; consultoque ab eis Pythio oraculo, responsum retulerunt, Mariae Verbi aeterni Genitrici dicendum esse; et quamvis ipsi veritatis ignari, daemone instinctu, Rhaea, quam Deorum matrem stulta gentilitas fabulabatur, similitudine quadam prorsus dissimili, decepti, illud consecravit: Zenone vero Imperatore ad verae Dei Matris cultum est traductum: rem gestam Cedrenus (*in compendio*) narrat his verbis: *Quo tempore iudices Israelitico populo praefuerunt, Argonautae cum Iasone Thessalo, Poluce, Hyla, Telamone, ac reliquis in Colchidem navigaverunt, qui cum per fauces in Ponticum mare transire vellent, Cyzicum Hellesponti dominum, nocali praefecto ipsos prohibere conantem, interfecerunt, ac Cyzicum urbem Hellesponti primariam cepervnt. Mox cognito Cyzicum sibi genere propinquum fuisse, venia postulata, templum condidit admodum mirabile, atque ad o-*

raculum, quod est ante Pythias Thermas profecti Phoebum Apollinem rogarunt, ut sibi ediceret, cui aedes consecranda esset: responsum tunc in haec est sententiam:

Assidua virtute decens sublime parate. Atque num, sic mando, Deum, qui cuncta gubernat, Coelesti residens solio, colite, atque timeate. Illius aeternum natum ante saecula Verbum Nescia Virgo viri, quondam partu tenera edet. Quod velut igniferis impulsa sagitta procellis, Edomitum reddet Patri pro matre mundum. Huius, quam Mariae nomen, movent, alma Genitrix Agnoscat templum proprium, sibi rite dicatum.

Hoc oraculum aetris literis in marmore impressis conscriptum, illi in superno portae lumine posuerunt, atque ipsi quidem tunc aedem Rhae Matris Deum dixerunt; sed ea postea, Zenone imperante, templum sanctae Dei Genitricis denominata fuit; haecenus Cedrenus. At vero oraculum hoc, quod e graeco latino Cedreni interpres versibus paraphrasticis vertit, nos, quo oraculi sententia planius percipiatur, sic ad verbum ex Cedreno vertimus: Quaevisque quidem ad virtutem, et ornatum visa sunt, facite; ego vero iubeo colere unum solum apud superos regnantem Deum, cuius Verbum nulli corruptioni obnoxium, in intactas puellae utero conceptum erit. Hoc Verbum, tanquam sagitta ignifera, medium percurrerit universum mundum, cum cum eperit, Patri adducto Dominum: illius puellae erit domus haec; Maria vero nomen eius; hucusque oraculum.

Huc etiam pertinet templum illud, a Iasone eorumdem Argonautarum principe in arce Atheniensi positum, quod Deiparae consecrandum esse Apollo Delphicus divita virtute coactus, vaticinio praedixit, cuius vaticinii verba a sancto Procopio martyre ex antiquis Graecorum annalibus allata habentur in eius vita apud Melaphrasem, quam Sorianus ponit die 8. Iulii. Eius porro vitae lenta est auctoritas, ut inde pro culta sanctorum imaginum in 2. Nicaena Synodo (*act. 4*) testimonium sit allatum, ex eaque nos, quae huc spectant, afferemus. Sanctus igitur Procopius martyr, cui nomen antea Neanias, Christo Domino eum peculiariter vocante ad fidem conversus, in persecutione Diocletiani imperatoris dira supplicia est perpressus, priusquam sub Iusto praeside Palaestinae: mox eo extincto, sub illius successore Flaviano: demum iuculo martyrio est coronatus. Is ut Flaviano rationem christianae fidei magna animi constantia redderet, Deique unitatem ex Mercurio Trismegistio, Socrate, et Heraclito confirmasset, Christum etiam Incarnationem, et crucem ex Sibylla ostendisset, tandem, et Elhaicorum historiis eadem verba, quae ex Cedreno nuper retulimus, quae subicit, cum daemones omnino obliterare non possent, suis saltem mendaciis adullerare sicut conati: nam Verbum Dei, quod est Patris sapientia, ad capiendum mundi Imperium, iustar, igniferas sagittas, vel ipsius oraculi praedictione missam, eiusque Genitricem Virginem simul imperite miscentes, et mendaciis confunderentes, unius fabulosae Minervae commentis, in quo haec omnia congresserant, obscurare se

posse sperarunt: ideoque eorumdem daemnonum instinctu, poelae Minervam ex Iovis capite progenitam, eoque sapientiae deam, ac virginem, militariumque armis instructam, et Aethenarum praesidem, in quarum arce templum a Iasone excitatum erat, conflagentes, huic vaticinio tenebras offudere. Hinc etiam factum fortasse est, ut a stulta gentilitate, Minervae in arcibus templa fieri consueverint, quemadmodum docent Farnutus, et Vitruvius (*lib. 1*), ad quod respexisse videtur Virgilius (*eclog. 2*), cum sic cecinit:

*Pallas, quas condidit aedes,
Ipsa colat.*

At dicit aliquis, idem videri templum illud Argonautarum apud Cedrenum, et hoc Iasonis a s. Procopio oraculi verba in utraque historia, et Iasone Ipse Argonautarum dux, et princeps fuit. Ceterum diversa esse haec sander videtur: nam illud Cyzici, istud Athenis; illud ab Argonautis vaticiniis, hoc a solo Iasone; de illo consultus est Apollo ad Thermas Pythias, de hoc vero apud Delphos; illud postea Rhaeae, hoc Minervae ab Elhaicis esse dicatum. El fieri facile potuit, ut Dei nato, ad huius vaticinii veritatem magis confirmantem, idem responsum, quod Argonautae cum Iasone apud Pythias Thermas acceperant, fisdem verbis referret Iasone solus a Delphico Apolline. Quod si malimus idem esse templum, quod ab utroque auctore describitur, sed propter rei gestae vetustatem aliquid tantum probatum manet, se discrepare, illud certe probatum nasceretur, templum Deiparae multis, antequam erectum, saeculis, a Iasone, et Argonautis erectum, ac daemnonum malis artibus, quasi furto sublatum, et Rhaeae, vel Minervae iniquis possessoribus addictis, postmodum Christi fide in universam terrarum orbem illa, Cedreno auctore, ut diximus, Cyzici, Zenonis imperatoris tempore, ab iniqua possessione vindicatum, veraeque dominae restitutum; ad Dei Genitricis honorem certius, planiusque revocatum est; Egypti quoque ante Christi adventum Virginitatem in lecto, et infantem in praeseptum passim collocare, et adorare consueverunt, teste Causilio (*lib. 2. cap. 7*). Cuius rei causam rogati, dicebant, quoniam ipsorum maiores hoc a propheta acceperant. El certe s. Epiphanius (*in vita Prophet.*) refert, Ieremiam Aegyptiis praedixisse idolorum suorum ruinam: *Ubi Aegyptum, inquit, ascendit cum suo infante Virgo cetera, Deo similis; sic Epiphanius: quod factum est, Christo infante cum sua Genitrice in Aegyptum Hierodiani rabie fugiente, de quo late supra disseram.*

Sed iam veniamus ad templa Virginis, illa superstitie, dicata. Celebre quidem est illud Caesaraugustae in Hispania, quod divus Iacobus exiit Deiparae, dum illa in terris viveret. Cuius rei historiam narrat Petrus Antonius Beuterus (*in Chron. Hisp. cap. 23*) his verbis: *Benedictissima Virgo, gloriosa, et sancta Maria Domina nostra, et regina anglorum, in ripa fluminis Eberi, prope Caesaraugustam,*

Aragonum urbem, in columna marmorea, glorioso Iacobo Apostolo apparuit: qui eodem deinceps in loco, sacellum angelicum iussus extruxit, et honori eius, ac nomini consecravit, quod dicte Mariae Virginis a Columna Caesaraugustana cognominatur, ob pilam, sive columnam, in qua videtur ipsa se praebuit: quod quidem miraculum contigisse perhibetur circa annum Imperii Tiberii; haec ille, qui addit ex testimonio Callisti Papae, et aliorum, hunc ipsum templum multis ab hinc saeculis eximius, ac infinitis fere miraculis nobilitari. Haec etiam historiam habet Vasaeus (in *annalibus rerum Hispaniae*), et Ioannes de Pineda (in *Morarchia Eccl. lib. 10. cap. 2. §. 4.*) Idem testatur Callistus 3. in quodam diplomate, quod in Ecclesia Caesaraugustana asservatur, dato anno Domini 1456, ubi: *Quam plurima, inquit, et infinita miracula divina provisione dictum sunt: et addit, capellam illam eius Ecclesiae de mandato Dei Genitricis depilari; haec ex diplomate Callisti. S. Petrus Apostolorum princeps, cui eximia Dei Genitricis dignitas, atque praestantia probe perspecta, cum adhuc in Syria moraretur, eidem Deiparae sacellum exivit, ac adhuc in terris agente; nam post eius assumptionem in Occidentali dumtaxat regione, et nominatim Romae debebat. Eius sacelli Iacobus de Vitricio cardinalis, qui obiit in Syria anno 1244. meminit his verbis (in *sua histor. Orient. cap. 44*): Anteradensis civitas, sive dicta quasi ante Aradum sita, vulgari autem appellatione hodie dicitur Tortosa, in qua b. Hierosolymitanus transiit in Antiochiam, in honorem beatissimae Virginis Mariae modicum fundavit Ecclesiam, in qua etiam divina celebravit mysteria, quae usque hodie in magno habetur honore, et multorum populorum accessu frequentatur, eo quod beatissima Virgo in illa sibi ab infantia primitivae Ecclesiae consecrata, multa operatur miracula, et infirmis illae venientibus gratia confert subsidia sanitatum. Dicitur autem a multis, quod inter omnes beatissimae Mariae ecclesiae, ista fuerit prima: non solum autem a Christianis, sed etiam a Sarracenis, in magna habetur reverentia; haec Iacobus de Vitricio. Eiusdem sacelli a d. Petro in honorem Dei Genitricis postii, Raphael Volaterranus (l. 11. *Geograph. in Syria*), cum agit de Tripollitana regione in Phoenicia meminit: *Ancoradum, inquit, civitas ante Aradum sita, hodie Tortosa dicitur, in qua sacellum Dei Genitricis primis omnium extruxit princeps Apostolorum, ex aere Christianorum collato, in quo primum sacrificasse dicitur; haec ille, Ioannes Baptista Mantuanus inter christianos poeta insignis (lib. 3. *Parth.*), memoriae prodidit, in monte Carmelo, audita Virginis beatissimae in coelos Assumptione, statim excitatum fuisse in eiusdem honorem sacellum: quod eleganter sic cecinit:**

Propterea montana viri spelaea colentes,
Audit illius fabo, sublimis sacellum
Apticus posere itis primi, atque quotannis
Sacra instaurantes, hymnos, et thura ferebant.

Sacra Martha, Christi hospitio clara, cum apud

Massiliam degeret, maximam, teste Vincentio Belacensi (lib. 9. *sui Specul. hist. c. 100. et 101.*), condidit basilicam in honorem Domini nostri Iesu Christi, et beatissimae Mariae semper Virginis, quem sancti Maximinus, unus ex Septuaginta duobus discipulis Christi, Aquis Episcopus, et Theophanes Arelatensis, et Eutropius Aurasicensis 16. Kal. Ianuarii consecravit. In Ethiopia a Francisco Alvarez, qui haec litteris mandavit, quemque Thom. Bozius (lib. 9. *de signis Eccl. cap. 9.*) vocat scriptorem integerrimae fidei, visum est templum a Candace Aethiopiae regina in Auxumo magnificentissime constructum, Deiparae consecratum, et miraculis olim nobilitatum: et tametsi omnes Aethiopiae reginae, teste Strabone, Candaces nominarentur; asserunt tamen Aethiopes, eam, quae templum istud posuit, illam fuisse, cuius eunuchus baptismo illustratus est a Philippo Diacono (Act. 8), ex quo templum illud longe antiquissimum esse facile colligitur. S. Malternus Episcopus, b. Petri Apostoli discipulus, cuius memoria in Martyrologio die 14. Sept. adnotatur: *Postquam a morte mirabiliter ad vitam esset excitatus, in Germaniam missus, Tungrenses, Colonienses, Treverenses, et aliosque finitimos populos ad Christi fidem perduxit. In Tungris aedem Virginis Deiparae consecravit, quemadmodum veleres Colonienses, et Treverenses Ecclesiae docent Annales, apud Canisium (lib. 5. de b. Virg. cap. 23).*

Ad haec quid dicam de templis in India Orientali Deiparae, inter mortales versanti, erectis? Inter illa primum refero Cranganor ab uno ex tribus Magis qui, stella duce, ad Christum infantem adorandum venerunt, cuius instar alterum Calcutii in honorem Deiparae, non longe post excitatum, quod certissimae testimonio est compertum: narrat enim Hieronymus Osorius Alabriensis Episcopus nobilis historicus (lib. 1. *de rebus gestis Emmae. regis Lusitaniae*), Vasum Gammam, Lusitanicae classis praefectum anno 1498. mense Maio apulisse Calcutium, celeberrimum urbem: cumque ad regem visendum in terram descendisset, a quodam viro primario, qui ius genti illi dicebat, Catuelem appellat, nomine regis exceptum, et primum in templum apud illos sanctissimum, et munificentissimum esse deductum: *In medio autem templi atri, inquit Osorius, sacellum editum, forma rotundum, ad quod per multos gradus ascendebatur: ostium erat ex aere factum, et valde angustum, intra sacellum erat signum in adverso pariete locatum, cuius formam nostri propter loci obscuritatem aspiceri nequeverunt: aditus in illud solis aedibus, atque sacerdotibus patebat, quatuor aedibus propius accedentes, digito in imaginem intento, bis Marianam inelamant. Catuelis cum reliquis, qui eum sequebantur, se repente in terram proni manibus extensis abiecerunt, deinde surgunt, et more suo precationem peragunt. Nostri suspicati, open sanctissimae Virginis implorari, genibus flexis pacem a Deo exposcunt, Virginemque Dei matrem more nostris usitato venerantur; haec Osorius. Qui deinde huius religionis, qua homines Pagani Mariae nomen venerantur, rationem prosequitur, quam nos*

ex eodem brevius huc inserendam duximus, quod res cogita non invidenda ad Virginis sanctissimae laudes spectare videatur: *Orange, inquit, in India urbs est perantiqua, quae Calcutio distat Austrum versus circiter quinque et quadraginta passuum millibus, et a multis christianis, a s. Thoma conversis, incolitur, cuius rex olim Brachmanorum litteris in primis eruditus, cum sorori germanae vitium intulisset, illius flagitii conscientia graviter afflictus, poena de se nullorum dierum inedia, atisque laboribus, seculo repetebat: nec tamen animi sollicitudine levabatur: quare religionis causa iter suscepit in Persidem, et Caramaniam, in qua antiquissima Magoni disciplina florebat, ex quibus duo, opibus, et sapientia principes regi Cranganoris per litteras noti, a stella, praeter naturae ordinem orta edocti, regem coeli, in Iudaea natum, ad eum adorandum se compararunt, quibus idem rex Cranganoris sub nigro colore, quem pictores in hoc mysterio exprimendo effingunt, se tertium comitem adiunxit. Quare in posterum, reliquis nominibus abiectis, nomen Cheriperindae, id eorum lingua sonat, unum ex tribus, ex hac tam illustri societate, qua maxime gloriabatur, assumpsit. Christum itaque adorant, eique munera offerunt. Rex laetissimus, tertio demum anno in patriam reversus, aedem extruxit, quam Mariae nomine consecravit, in qua sanctissimae Virginis imago cum filio in unis collocata fuit, sanctique ut quoties in templo aditu hoc nomen inelamant, toties se omnes, qui adessent, in terram prosternerent. Postremo cum, ut se totum divinis rebus daret, et negotia reliquit, et regni opes distribuit, quos sapientia, et religione praestare cognoverat. Ex his unus fuit, qui Calcutii urbis fundamenta iecit, et templum illud, quo fuit Gamma deductus, extruxit, et in medio sacellum sanctissimae Virgini dedicavit, et exemplum patroni secutus, statuit, ut ad Mariae nomen omnes sese in terram proicerent, et licet incolae sint Pagani. Hanc tamen memoriam ab antiquis traditam, religione summa conservant. Haec sunt, quae in antiquissimis christianorum Indorum monumentis contineri, ab hominibus Indiae peritissimis accepisse se scribit Osorius.*

Nec silentio praelermittendam est sacellum in monte Carmelo ad honorem Virginis extructum: meminit illius b. Ioannes XLIV. patriarcha Hierosolymitanus (lib. de instit. prim. Monach. cap. 26), ubi haec verba habet: *In memoriam visionis de ortu huius Virginis, praecensens sancto prophetas Eliae sub specie nubeculae, ascendens de mari in Carmelum, Monachi praedicti anno incarnationis Filii Dei octogesimo tertio, diruentes eorum seunion antiquum, aedificaverunt huic primae Virgini Deo dicatas capellam quandam in monte Carmeli, iuxta fontem Eliae, in situ illo, in quo Elias orans, viderat nubeculam illam, quasi vestigium hominis de mari ascendere in Carmelum.*

Ad extremum inier ea templa Virgini dicata, dum in terris ageret, non immerito commemorare possumus sacrum sacellum Lauretanum, quod Apostoli Christi magno semper honore coluerunt, rem divinam certatim inibi facilitan-

tes, quemadmodum ex eiusdem Virginis revelatione late refert Horatius Tursellinus (lib. 1. *hist. Lauret. c. 3.*) Et quidem cum templum nihil aliud sit, quam domus divino cultui destinata, in qua Deus adoratur, et sacrificium ei offertur, cum in ea toties Ecclesiae principes oraverint, et sacrificaverint. Celeberris theologus, et insignis poeta Baptistam Mantuanus (in *hist. aedis Lauretanae*) tot praeciosis sacrum hoc templum effert, ut non modo terrestri paradiso, ubi Eva ex Adae latere est formata; monti Sinai, ubi est data lex; templo Salomonis, praecipua Dei praesentia, inelyto; speluncae Bethleemicae, ubi Christus natus; monti Thabor, ubi transfiguratus; monti Olivarum, unde triumphans in coelum ascendit; verum etiam augustissimo eiusdem Christi sepulcro, quo nihil sanctius habetur in terra, reliquisque omnibus, quam sub coelo sunt locis, aequare non dubitavit. Ego autem ausim ei praeferre, tum quia si sepulcrum Hierosolymitanum continet corpus Christi per tres dies, eadem domus continet per triginta annos, tum quia ibi facit corpus Christi emortuum, in hac vivit; ibi exanime, hic animatum; tum quia si in sepulcro facta est unio animae cum corpore in eius resurrectione, in hac sacra aede facta est sublimior unio, per quam in ea Verbum caro factum est. Licet ergo mihi cum patriarcha Iacob exclamare (Gen. 28): *Terribilis est locus iste, non est hic altus, nisi domus Dei, et porta coeli. Unde sapienter Tursellinus (in praef. lib. Laur.) non minus vere, quam eleganter dixit: Tantum Deus mortalium animis insperavit huius aedis, et religione religionem, ut quicumque ad Lauretanum aedem accedunt, non tam ad aedem Virginis, quam ad ipsam Virginem sibi adire videantur: et sane huic Deus, Deique mater, miro quodam modo praesentiam suam delectant. Hinc divinus ille omnium perhorribus incultur honor ad sacrosanctae domus ingressum, hinc illud abundantius insicitur eius recensenda desiderium; hinc nobilitas illa perditurum, profugaturque mentium in diversa iulatio, quae quidem perpetuae aedis Lauretanae miracula ita evidenter sunt, ut etiam si deessent alia, quibus abundat, cunctis faceret divine praesentiae fidem: est autem hoc praecipuum, ac proprium templi Lauretani, ut eius religio, ac sanctitas quotidie magis efflorescat, cum aliquarum etiam celeberrimum aedium beatissimae Virginis, aliorumque Sanctorum celeberris, cum aliquando eignerit, interdum deflorescere videtur. Ad tandem, qui plura alia huius sacrae domus desideraverit, videat quae scriptis libro 5. de Sacris Atracensis Angelicae Annunciationis Virginis, homilia 3.*

HOMILIA VIII.

Divino consilio factum esse ad maiorem Virginis cultum, et gloriam, ac de antiquo serpente illustriorem victoriam, ut in templis, et locis, quibus daemonum simulacra Gentiles olim venerantur, in eisdem Deiparae Virginis imago posita ab Ecclesia coleretur.

Cum omnia Deiparae Virginis templa, quae post gloriosam eius in coelum Assumptionem per totum orbem terrarum, singulari pietate et magnificentia in singulis regnis, et provinciis, imo et in singulis urbibus, oppidis, et pagis, in eius cultum, et honorem condita sunt, commemorare immensus labor esset, et parum proficere, cum satis notum, et perspicuum omnibus sit, nullum esse ita humilem, et despectum Christianorum pagum, in quo Virginis sanctissima vel proprium templum, vel proprium certe sacellum, vel ara non fuerit, et sacra; unde de solo Iacobo Aragonio rege Hieronymus Blanca (in *comm. rer. Arag.*) ad annum 1235. refert, bis mille in Deiparae Virginis honore construxisse templa in agro suo; illud solum hac loco praestabo, ut ea tantum templa referam, quae Romae, ubi haec scribo, erecta sunt in eisdem locis, quibus, vel idolorum simulacra olim decepta Gentilitate colebantur, vel in profano usus destinata erant. Romana enim civitas, ut verbis utar Leonis (serm. 1. de *Apost. Petro, et Paulo*), priusquam Christi fidem reciperet, cum pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus, et frequentissima habebat idolorum delubra; in quorum postea ruinis pleraque Deiparae inaedificata sunt templa. In iis igitur percensendis, quanam eiusmodi idolorum fana fuerint, ubi Deiparae templa sunt posita, indicabimus; ut plantum omnibus fiat, Deiparam non modo, ut canit Ecclesia: *Cunctas haereseis in universo mundo solam interemisse, verum etiam de ethnicismo, et de universa gentium superstitione triumphum egisse, atque in eorum fanis, veluti in infestissimorum hostium expugnatis arcibus sui filii, suaque trophaea erexisse. Quare in his videtur impletum illud Isaiae vaticinium (c. 35), in cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, oriatur viror calami, et iunci, et erit ibi semita, et via, et via sancta vocabitur. Quod nemini mirum videri debet, cum haec sit mulier illa, quae draconis venenati caput contrita praedicitur, quam Cyrillus (hom. 6. in *Nest.*) merito sic alloquitur: *Per te omnis creatura, idolorum errore detenta, conversa est ad cognitionem veritatis, et fideles homines ad sanctum baptismum perreverunt, atque in toto orbe terrarum constructae sunt Ecclesiae; sic ille. Et Euthymius (orat. de Zona Dep.): Sanctissimo, inquit, Virgo aras contrivit idolorum, et delubra gentium perdidit et commisit, et cessare fecit immoderatam sanguinis effusionem. Quam autem haec vera sint, luen-**

terer satis indicabunt, quae nunc commemorabo.

Exstat insigne templum s. Mariae ad Martyres, quod vulgo a structura figurae rotundum dicitur: olim fuit eburnicorum celebre delubrum, a M. Agrippa, Augusti genero, anno ab urbe condita 727. excitatum, ac biennio post, auctore Dione, absolutum, idemque teste Plinio (l. 36. cap. 15) propter extinctum civile bellum, M. Antonio, et Cleopatra ad Asiaticum promontorium ab Augusto superatis, Iovi ullori dicatum; dictum est autem Pantheon: *Quod in simulacris Martis, et Veneris, inquit Dio (lib. 53. hist. Rom.), multas Deorum imagines acciperet: ut vero mihi videtur, quod forma convexa fatigatum caeli similitudinem ostenderet; sic ille. Cum vero Tili tempore conflasset, a Domitiano, ut auctor est Cassiodorus, restitutum est. Nec multo post sub Traiano fulmine ictum, ab Adriano, lesse Spartiano, restauratum; postmodum a Septimio Severo, et Marco Aurelio Antonino, ut videre est in eiusdem templi inscriptione, cum omni cultu est restitutum. Anno vero salutis 607. Bonifacius Papa IV. ab idololatriae sordibus expurgatum, delatis in illud ex variis urbis coemeteriis oculo et viginii curribus onustis ossibus martirum,isque prope summum altare ad eius dexteram decenter collocatis, Dei Genitricis, et omnibus martyribus die 13. Maii consecravit, solemnem, ac peculiari instituta festivitate. Eius meminit Martyrologium, et adhuc Romae ea die recolitur in hoc templo, quod propria s. Mariae ad martyres est appellatum, ut videre est in stationibus Missalis feria 6. post Pascha. Eam festivitatem postmodum Gregor. IV. qui anno 827. Pontificatus inivit, in honorem non tantum martyrum, sed omnium etiam Sanctorum die 1. Novemb. in universa Ecclesia celebrem esse decrevit, quemadmodum supra in hoc eodem capite diximus: ad idem templum solemnem spatium habetur feria 6. infra octavam Paschae.*

Exstat s. Maria Ara caeli in Capitolio, ubi olim Iovis Feretrii fanum. Eiusmodi Deiparae templum, cui Fratrum Minorum de Observantia nobile coenobium nunc est adiunctum, in ea Capitolii parte situm est: ubi Octavianus Aug. profectione iam aetate accepto Pythio Apolline responso de puero Hebraeo, eodemque Deo, ac omnium Domino, ipsum in latrara detrudente, Romam ex oriente reversus, aram maximam, auctore Nicephoro (l. 1. c. 17), extraxit, cum eiusmodi Latina inscriptione: *Ara Primigeniti Dei.* In hoc templo Imago Deiparae a s. Luca depicta in summo altari magna pietate cultur: ibidem etiam lapis visitur iugis, pedum vestigiis ab angelo impressis, qui Romae humana specie aliquando apparuit. Cum autem in urbe, ex Onaphrio (de 7. *Ecl.*) in S. Ioanne, 20. ex Baronio vero in notis ad Martyrol. die 1. Decemb. 22. essent coenobia, seu Abbaciae, quarum Abbates in praecipuis quibusdam celebritatibus, summo Pontifici, celebrant aderant, haec Ecclesia Ara caeli, auctore eodem Onaphrio, una erat ex illis Abbatibus, quam postea Leo X. anno 1516. cardinalium titulum instituit.

Exstat s. Maria Schola Graeca in delubro, ubi Eburnicorum tempore erat ara, quae vocabatur Maxima. Ad hanc fones ad veritatem iure iurando testandum adducebantur; cum vero eiusmodi ara prope os cuiusdam cloacae sita esset, factum est, ut lapis ille perforatus, atque ori cloacae superpositus, nostra aetate vulgo os veritatis appellaretur: nomen vero Scholae Graecae huic templo inditum videtur a proximo literarum Graecarum gymnasio. S. Dionysius Papa circa ann. Domini 260. domum suam, quae in eo loco erat, in ecclesiae formam redegit, quae a Deipara nomen accepit. Eam vero vetustate collapsam, Stephanus 3. restituendam curavit, cum in Gallis desperata iam valetudine, a s. Dionysio Areopagita in columbatum ann. 714. esset concessus, ut videre licet apud Surtium to. 3. ad calem viae eiusdem s. Dionysii. Tandem eam post Stephani obitum Paulus I. Pont. eiusdem Stephani frater, compluribus sanctorum corporibus ibi reconditis, in honorem ss. Dionysii Areopagitae, et sociorum perfectit, et consecravit. Mox Adrianus Ian. 772. illam mirifice exornavit, ita ut ab aedis ornatu dicta sit s. Maria in Cosmedin. In eiusdem templi sacellum iussu Pii V. translata est Deiparae imago, quae in quadam pariete depicta, nullis clarebat miraculis, denique inter antiqua Cardinalium Diaconis recensetur.

Exstat s. Maria a Palmis via Appia extra portam Capenam, nunc s. Sebast. sic dicta a palmarum multitudine, quae ibi olim erant cum templo Martis, ad quod duo Papae et martyres Stephanus I. et Sixtus II. ut illi simulacro sacrificarent, sunt pertracti, quemadmodum in eorundem actis legitur apud Surtium (tom. 4), et Stephani quidem precibus, Marti statua terraemotu concidit, templumque contremuit. Sixto vero inde redeunt occurrat s. Laurentius, qui ab eo de thesauris Ecclesiae in pauperes distribuendis mandatum acceperat. Hoc in loco, quemadmodum pervetus pictura supra templi fores indicat, Christus s. Petro, Neronis rabiem fugienti, occurrat, eidemque roganti, Domine quo vadis: respondit, Romam iterum crucifigi, atque in lapide pedum suorum vestigia impressit. Unde factum est, ut Ecclesia haec sancta Maria a Plantis dicta etiam sit. Sanctus vero Petrus intellexit, Christum iterum crucifigendum esse in servulo: quare ad martyrium fortiter subeundum rediit. Lapis aulem Christi Domini vestigiis nobilitatus, in proximo sancti Stephani templo pie asservatur. Hanc historiam Ambrosius (in *Auzent. de Basil. non tradend.*), Gregorius (in *Psalm. 4. poenit.*), et alii tradunt. Vide Baronium (tom. 1. *Annal.*), ad annum sexagesimum nonum. Cum autem hoc templum prae vetustate ruinam minari videretur, Reginaldus Polus cardinalis Anglus, ne fam insignis Christi apparitionis memoria cum templo pariter interiret, sacellum aliud, forma rotundum, paulo superius, eadem via Appia, exaedificavit, cui nomen inditum, *Domine quo vadis.* Cardinalis vero Toletus hoc ipsum Deiparae templum, pro sua in Virginis templa pietate, reficere cooperat; verum perficere, et splendori restituere per mortem non licuit.

Exstat sancta Maria de Populo sub colle hortulorum religiosissimi Ordinis Eremitarum sancti Augustini, piissima eiusdem Deiparae imagine a sancto Luca depicta nobilitata, hoc in loco sabbat mœtis arbore, cineres impiissimi Neronis, qui primus in Christianos persecutionem movit, condebantur, indeque daemones, tanquam ex proprio deposito, iis, qui illae praeteribant, mirum in modum erant infestis. Quare Paschalis II. anno millesimo nonagesimo nono, ubi haec divinitus cognovisset, indicta supplicatione, ad locum accessit, nucem percussit, ac impios cineres in Tiberim prociis iussit, aramque extruxit, quam multis in ea reconditis reliquiis, consecravit. Gregorius Nonus circa annum Domini millesimum ducentesimum vigesimum septimum, imaginem Deiparae a sancto Luca depictam ex loco, qui dicitur sancta sanctorum, perlatam, cum omni clero, ac populo, in hoc templo repositit. Sixtus Quintus eidem templo titulum Cardinalium dedit, septem altaria iustarum templorum sanctorum Petri, et Pauli, designavit, easdemque indulgentias, quas habet sancti Sebastiani templum, esse largitus, atque eorum commoditatis, qui septem urbis Ecclesias obunt, commiserat, eis potestatem fecit, ut loco sancti Sebastiani hanc Ecclesiam visitant.

Exstat s. Maria Super Mineram, sic dicta a proximo Mineruae Chalcedicae delubro, quod Pompeius Magnus, auctore Plinio (lib. 7. cap. 26) Mithridatico bello confecto, multisque regnis ac Gentibus in Romani imperii ditonem redactis, ex hostium manibus dicavit, eius delubri vestigia in hortis coenobii sacri Ordinis Praedicatorum, quibus hoc Deiparae templum est demandatum, adhuc cernuntur. Paulus Quartus hoc templum Cardinalium titulo insignivit. In eodem Deiparae templo ad laevam summi altaris sacellum, pulchre extructum, cum religiosissima Deiparae imagine extat: in quo florentissima, et nunquam satis laudata Rosarii sodalitas in urbe est erecta, in eiusdemque sacelli ara corpus reconditur s. Catharinae Senensis, virginis praclarissimae, ex tertio Ordine Praedicatorum, cuius opera in Gregorio XI. revocando ex Gallis, in urbem, magno republicae christianae bono, singulariter eluxit. Ibidem aliud quoddam sacellum a Ioanne Tarrecremato cardinali Ordinis Praedicatorum, viro doctissimo, b. Virgini annunciatiae dicatum est, ubi ab eodem sodalitas est instituta, quae compluribus puellis nobilibus dotem assignat, quam summus Pontifex solenni pompa in illud templum veniens, die ipso Annunciationis b. Virgini suis manibus eisdem distribuit.

Exstat s. Maria Nova in foro Romano, ubi olim solis et Lunae fanum prope ruinas templi pacis, a Vespasiano magnitudinissime extructum. Ea Deiparae Ecclesia adiunctum habet coenobium religiosissimum Patrum montis Oliveti, in cuius hortis, auctore Andrea Fulvio, extant vestigia aedicularum Isidis, et Serapidis; cumque ante diceretur s. Maria vetus, postmodum a Ioanne 7. Pontifice anno Domini circiter 705. restituta, et exornata, exinde Nova appellata est. In eius summo altari imago Dei-

parae, a s. Luca coloribus expressa, a Troade huc delata, pie colitur, quae cum templum hoc Honorio 3. Pontifice conflagrasset, nihil ex incendio post passa Gregorio 5. Pontifice anno circiter 995. corpora ss. martyrum Nemesii diaconi, Lucillae virginis filiae. Symphronii, Olympii tribuni, Exuperiae eius uxoris, et Theodori filii, de quibus in Martyrologio die 31. Octobris, recondidit. Ante idem vero altare, sub ferrea cruce, corpus s. Franciscæ Romanae viduae, pietate, et miraculis clarissimae, asservantur, quam religiosissimarum sororum, a Turri speculorum vulgo dicitur, fundatricem, Paulus V. Pontifex Maximus anno 1608. in sanctorum catalogum retulit. In eodem quoque templo, quod est una ex antiquis Cardinalium Diaconis, lapis visitur, in quo s. Petrus suae genueflexionis vestigia reliquit, cum, ut verbis utar s. Maximi (hom. 5. de sanct. Petr. et Paul.), fixis genibus Dominum est precatus, et Simonem Magum magicis artibus volentem, et velut vincitum, de sublimi aere deposuit, et quodam praecipio in saxo elidens, eius crura praecipio in saxo confregit. E regione s. Mariae Novae in monte ipso Palatino olim erat Ecclesia Deiparae, dicta in Pallara, nunc omnino diruta, et vitibus obsita, quae teste Onuphrio de septem Ecclesiis, una erat ex viginti illis urbis Abbatias, ubi, inquit Onuphrius, fuit sagittatus s. Sebastianus. Dicebatur in Pallara a Palladio, quod Diomedes ex arce Troiana sublatum, superseditio postea adactus E. neae restituit, et in proximo Vestiae delubro, Andrea Fulvio auctore, a virginibus Vestalibus custodiebatur.

Extat s. Maria, cognomento, libera nos a poenis inferni, in foro Romano, ubi olim erat fanum Iovis Statoris. In hoc loco aliquando cum vasto, ac repente hiato terra subsidisset, Marcus Curtius Ernes Romanus, adductus superstitione eiusdem responsi, quo vivens aliquis ad eam complendam deprecabatur, eque, militariibus insignibus ornatus, conscendit, eumque vehementer admotis calcariibus, praecipitum in illud profundum egit, ut auctor est Titus Livius (lib. 7.), Valerius Maximus (lib. 5. cap. 6), Orosius (lib. 3. hist. cap. 5). Ibidem etiam ex aquis proximi Tiberis stagnantibus laevis erat, cui nomen erat Curtius, de quo Ovidius (6. de Fast.):

Curtius ille laevis siccas, qui susinet aras,
Nunc solida est tellus, sed fuit ante laevis.

Eiusmodi Deiparae templum in hoc loco excitatum, tamen non adeo magnum, nobilitatum tamen est propter draconem, suo afflatu Urbi pestilentissimum, ibi s. Silvestri Papae precibus mirabiliter extinctum: quod tanquam satis exploratum, multorumque testimonio comprobatum recipit Baronius (tom. 3. Annal.) ad annum Domini 324. cuius rei occasione s. Silvester hanc sedem multis in eius altari reliquiis repositis, Deiparae dicavit, quae ab eius conditore aliquando appellatur templum sancti Silvestri in lacu, quod Iulius III. anno 1550. Matribus venerabilibus Congregationis Turris speculorum attribuit, cum antea fuis-

set coenobium Monialium s. Benedicti, ab iisdem propter coeli insalubritatem desertum.

Extat s. Maria a Crypta picta in campo Florae ad theatrum Pompeii, prope hoc templum annum 1525. reperitum est marmor cum haec inscriptione: Veneris Victricis, quod ibi eodem fanum aliquod, vel ara forte esset dicata. Ceterum templum hoc ante 300. propemodum annos Deiparae Conceptionis est consecratum, auctore Octavio Pancirola: cum aliare cum templo pervetusto dirigendum, ac restituendum esset, in charta pergamenae ibidem reperta, verba haec legebantur: Anno Domini 340. indict. 2. die vero Martis 8. Decembris tempore d. Bonifacii IX. anno suo 6. consecratum hoc altare cum Ecclesia in honorem Conceptionis beatæ Mariae Virginis.

Extat s. Maria in Aventino, ubi olim templum Bonae Deae. Haec Deiparae Ecclesia, auctore Onuphrio, quondam recesserat inter 20. Urbis Abbatias: In qua, inquit idem Onuphrius, est de corpore s. Sabini Episcopi, nunc prioratus est militum Hierosolymitanorum.

Extat s. Maria ad Campum Martium, quia a Marte, cui olim dicebatur erat, nomen duxit. Huic templo coenobium est adiacentium monialium Ordinis s. Benedicti, quae ante 600. annos ex Graecia cum multis Sanctiorum reliquiis venientes, quod earum camelis reliquiis deferentes ad hoc Deiparae templum constitissent, nec progredi possent, hoc in loco sedem posuerunt. Inter alia vero, a quo sedem attulerant, erat imago Deiparae a s. Luca depicta, quae aliquando post trabis proximae incendium inventa est ad quemdam puteum, ab igne intacta, et in aere suspensa. Detulerunt etiam corpus s. Quirini Martyris, corpus item s. Gregorii Nazianzeni Doctoris praecclarissimis, quod in hoc templo, ut est in Martyrologio die 11. Junii diu asservatum, Gregorius XII. Pontifex in capellam a se in basilica s. Petri magnificentissime exornatam, summa celebritate transtulit, ac postridie sub altari digno honore condidit, brachio eiusdem sanctimonialibus relicto.

Extat s. Maria Gratiarum, ubi olim Vestiae erat fanum: haec tamen Deiparae Ecclesia proximo eiusdem Deiparae a Consolatione templo est unita.

Extat s. Maria in Aquiro prope circum Flaminium, ubi olim erat Isis fanum, vel, ut alii malunt, in Equirio, sic dicta a ludis equestris, qui eorum, et currum curus in campo Martio in honorem Martis a Romulo instituti die 13. Martii exercebantur, et illic transiebant, de quibus Ovid. (l. 3. Faust.):

Altera gramineo spectabis Equira campo,
Quem Tiberis curvis in latus urget aquis.

Hoc templum in Equirio ab Anastasio Papa, teste Lucio Fanno (lib. 4. cap. 21) fundatum, inter antiquas Cardinalium Diaconas commemoratur; eisdemque templo attributum est Collegium Orphanorum, quarum domus consilio, et industria b. Ignatii Societatis Iesu fundatoris in urbe erecta est, teste Petrus Ribadeneira (l. 3. vit. b. Ignat. cap. 9), ne videlicet parentum praesidio, omnique humana ope destituti, at-

que errandi pueruli, in aliquod animae, corporisque discrimen adducantur.

De aliis vero templis, per totum orbem terrarum in Deiparae cultum erectis, praesertim in Hispania, in Germania, et aliis partibus septentrionalibus, in Gallia, et Belgio, Constantinopoli, et aliis Orientis, et Africae regionibus, necnon apud Barbaras nationes, sic late scripsit Antonius Spinellus (de laud. b. Virgin. tract. de fest. et templ.), ut huic labori superlegendum censuerimus, cum historico magis, quam concionatorio muneri ista deserviant.

HOMILIA IX.

Ecclesia catholica permulta festa instituit in Deiparae Virginis cultum, eximiam suam pietatem, ac devotionem erga illam protestatur.

Inter alia pleraque obsequia, quibus Ecclesia Dei per totum orbem terrarum longe lateque diffusa, ad honorem, et cultum Deiparae exhibet, non minorem locum tenent in eius honorem religiosa instituta, quae adeo multiplicata sunt, ut merito s. Ildephons. (serm. 1. de Assumpt.) dixit: Haec est, quae ut cedrus Libani, quotidie in terris multiplicabitur, dilatabiturque ramis, et in coelo radicibus, ut crescat amplius, solidatur. Olim (Num. 28) ex Dei praeepto Hebraei, noviluniis recurrentibus Kalendarum, seu Neomeniae solemnitate, aucto sacrificiorum numero, celebrabant, ut cecinit regius Vates (Psalm. 8): Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitate vestrae. Ut autem tradit d. Augustinus (l. 19. contra Faust. c. 10), haec novae lunae celebratio novam creaturam, quod per Christum facta est, praenunciabat. Unde arbitratur, festa illa adumbrasse festa, quae tempore legis gratiae celebranda erant in honorem Deiparae, quam pulchram, ut lunam, divinus Sponsus compellat, (Cant. 6.) Et quidem si Ethnici, vano idolorum errore decepti, matris Deorum, quae tamen portentosa multa genuisse ab iisdem credebatur, aequinoctium verni diem sacrabant, ut auctor est Ropisus (in Aureliano), idque in quo indicare videtur Dionysius Areopagita (epist. 8); quanto aequius est, beatissimae Virginis festa celebrare, quae vera Dei parens est, nobisque auctorem vitae peperit, ac fontem perennem gratiae, et omnium, quae suscipimus, beneficiorum?

Verum ad festa ipsa accedens, celebrat in primis Ecclesia Rom. festum immaculae Conceptionis, quod apud Graecos ante mille annos, teste Galatino (l. 7. de Arc. cathol. verit. c. 5), celebrari consuevit die 9. mensis Decemb. videlicet est in Monologio eorum, et in constitutione Emmanuelis Imp. apud Theodorum Balsamonem (in Nomocan. Photii tit. 7. c. 1), et apud Baronium (in notis ad Martyr. die 8. Decembr.) qui testatur exulare in bibliotheca Sfortiana de Conceptione b. Virginis sermone Leonis imperatoris, qui dictus est Pseudo-anthropus ex eodem Baronio tomo 10. Annal. anno 886. Cassius quoque (lib. 1. de b. Virg.)

CARTHAGENA DE B. M. V. — Voi. III.

affirmat, Damascenum, qui claruit circa annum 720. in suo martyrologio diem Conceptionis Mariae notasse, et expressè addidit, quod illa ante Conceptionem pura dicitur, quod et Galatinus (loc. cit.) animadvertit. Apud Latinos vero die 8. Decembris ex nonnullis revelationibus, quas infra ponemus, celebrari consuevit. Verum a quo tempore id fieri coeperit, non satis est exploratum: nec enim desunt, qui ad tempora Caroli regis Franciae unam ex his revelationibus, circa annum Domini 880. cuidam regis Hungariae germano factam, asserant; quam infra referemus, eiusque meminit Franciscus Vanarez (in comp. vir. illustr. Ord. Sancti Benedicti), et Bernardinus de Busto (in suo Mariali), Alii vero ad tempora Gulielmi Northmannorum ducis, quia ea tempestate in Anglia imperabat: hoc referunt occasione eiusdem Abbatis a naufragii discrimine divinitus servati, simulque de hac solemnitate celebranda admoniti, quod refert Petrus de Natalibus (in catal. Sanctor. c. 42), et Iacobus de Voragine (in festo Concept. in vitis Sancti.), et Arnoldus Uvion (lib. 5. vitae c. 114) apud Cornelium Schultingium in Bibliotheca Ecclesiastica (to. 2. in festo Concept.). Hi tamen Abbatem hunc fuisse d. Anselmum affirmant: Baronius vero (loco citato), Helsenio Abbati Anglo, paulo ante tempora Anselmi circa annum Domini 1070. totum hoc tribuit, idque ex historia ipsa confirmat. Item sentit Buxius (l. 9. de signis Ecclesiae c. 8), quam tamen solemnitatem foviit postea s. Anselmus Cantuariensis Episcopus, qui obit anno salutis 1109. caempeplexa est Ecclesia Lugdunensis propter scriptum supernae eiusdem revelationis, ut testatur Bernardus (epistol. 174). Denique ab universali Ecclesia in morem inducta, longe ante tempora Sixti Quarti, qui tamen in extravaganis, cum praee Xcelis, de reliquiis, et veneratione sanctorum, iis, qui Conceptionis missam, et officium, quae sua auctoritate emanarunt, celebrant, in die festivitatis Conceptionis, et per eius octavas, aut illis horis interfuerint, amplissimas est largitus indulgentias: et sacrum Concilium Tridentinum (sess. 5) constitutiones a Sixto Quarto de Conceptione b. Virginis invocat sub poenis in eis contentis.

Sed quid mirum conceptionis Deiparae festum a fidelibus solenne haberi in terris quod coelis, teste s. Vincentio ex sacra Praedicatorum familia (ser. 2. de Nativ. b. Virginis), ab angelis iam inde cum primum Virgo sanctissima materno in utero est concepta, celebrari caeptum est? Nativitas Deiparae post Ephesini concilii tempora anno nostrae salutis 436. celebrati, in quo excreanda Nestorii haeresis, qui beatissimam Virginem impie negabat Deiparam appellandam, Patrum sententias damnata est a Latinis, et Graecis, die 8. Septembris coli coepit, quod eruditè probat Baronius (in notis Martyrol. ad eam diem: nam ait Baron. in Quaeos Procli, Germani, Andreae Cretensis, et Damasceni sermones de hac solemnitate extant, et apud Latinos non solum Bernardus, et Fulbertus, qui circa annum Domini 1010. claruit, et Petrus Damianus, atque